Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

num Librarius abſtinuerit, non liquet.

LV.

R. 1716 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 186. 8. maj. egregie ſcriptus, Iconiſmis XI. Literis florulentis, aliisque ornamentis pro aevi guſtu deauratis et picturatis ſpecioſus, olim *Bibliothecae Civicae Vindob.* eſt *Pſalterium Davidicum* cum *Canticis Biblicis* et aliis adnexis, quae ediſſeram. Initium dat *Calendarium* intra porticus, ut ita dicam, ad modum *Canonum Evangelicorum Euſebii* venuſte ſcriptum, deturpatum vero infarctis a recentiore, imperitaque manu variis SS. nominibus, id, quod etiam communi ſatis Codicum fato, quibus poſſeſſorum ſtupor non pepercit, marginibus ipſius *Pſalterii* factum eſſe dolenter refero. Porticus cujusvis Menſis poſt *Idus* nova fornice intercepta eſt, cui ſemper adpingitur Zodiaci ſignum. Nomina Sanctorum a prima manu rara. Mala fide cum hoc *Calendario* actum eſſe, diſce. Quod ad 3. *Martii* et ad 4. *Dec.* minio ſcriptum fuerat, eraſum eſt. Ad illam notabatur *Ordinatio*, ad hanc *Feſtum S. Annonis* Archiep. *Colonienſis*, ut vel veſtigia docent. Plauſerit ſibi Veterator, quisquis ille fuit, de erepto jam Dioeceſi *Colonienſi* hoc *Pſalterio*. Sed fefellit ineptum ad 29. *Apr. Translatio Sancti Annonis* nitide miniata, duplex quidem; primo enim ad Monaſterium *Siegebergenſe* ſibi in vita cariſſimum, deinde ad ſplendidiorem capſam Corpus translatum eſt. Neque profuit illi ad 23. *Oct.* atramento inductus *Severinus* pariter *Colon.* Archiepiſcopus; nam minium clare tranſparet. Sunt et plures raſurae, ſed quas jam examinare neceſſe non eſt, cum etiam *Servatius*, et *Gereon* literis ſaltem alternis miniatis et majuſculis Dioeceſin *Colon.* depoſcant Dioeceſin dico, non Urbem; nam Feſtum *undecim milium virginum* atramento tantum deſcriptum eſt. Cum porro et *Feſtum*, et *Translatio S. Benedicti Abb.* minio gaudeat, *Pſalterium* noſtrum praedicto Monaſterio *Siegeberg.* adſerere haud dubitem. Iconiſmorum jam *Calendario* ſuccedentium I. Virginem ab Angelo ſalutatam, II. Praeſepe Domini, III. Adorantes Magos, IV. Aſcenſionem Chriſti, V. Eundem cum libro ſedentem, Symbolis Evangeliſtarum circumdatum, VI. *Petrum* et *Paulum* exhibet. In VII. ſiſtuntur duo S. Heroes armati, quorum alterutrum S. *Mauritium Siegebergae* Tutelarem eſſe mihi perſuadeo; neque enim inſcriptiones habent, ut alii; in VIII. SS. *Anno* et *Nicolaus*, in IX. denique SS. *Agnes* et *Catharina*. Icon X. fortaſſe D. *Johannem Chryſoſt.* referens viſitur poſt *Pſalmum* 50. et XI. *David* citharam increpans poſt *Pſ.* 100. *Pſalmi* I. litera incipiens B ſplendide picta totam occupat paginam, et in ipſum *Pſalmum* literis quadratis ſcriptum 3. paginae auro, argento et coloribus alternis faſciatae inſumuntur. *Fol.* 153. ordiuntur *Cantica Biblica. Hymnum*